

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ quintâ menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXVI.

M. CLAUDIO-CAROLO DE JEAN,
Doctore Medico, Præſide.

An affectibus ſoporoſis Emeticum?

I.



NULLA SECRETIO, ſi vitietur, tam immanes, tamque lethiferos edit morbos, ac ſpirituum animalium ſecretio. Specimen præbent non leve affectus ſoporoſi. Mortem ſæpe tam perfectè adumbrant, ut imago nunquam expungatur. Portentoſa offert illud morborum genus ſymptomata. Videre eſt ægrum tam ferreo obrutum ſomno, ut vix, imò nullâ ratione queat expergefieri: ſalva tamen, quin & integra remanet reſpiratio: hunc pungis aciculâ? movet unum aut alterum membrum: mittit ægrè vocem: oculos nondum aperuit, & ecce redditur ſomno. Jacet ſenſu motuque deſtitutus. Quæſita non intelligit; multo minus reſponſa refert. Carum hunc dicunt affectum. Proximus eſt ad Apoplexiam gradus. In Apoplexiâ omnes ſimul functiones animales ſubitò ceſſant, attonitus procumbit æger; fulmine percuſſum diceres; vox ſimul aufertur, imminuitur ipſa reſpiratio; cum ſtertore aliquandò anima reciprocatur; reſoluta videntur membra; ſi brachium, ſi pes levetur, ſuo ſtatim pondere labitur; altus urget ſopor; niſi reſpirationis, pulſuſque veſtigia ſupereſſent, & aliquis color faciem inficeret, mortuos inter reponeretur. Coma ſoporoſis affectibus adſcribitur. Duplex eſt, ſomnolentum & vigil. Si ſomnus delirio ita conjungatur, ut excitatus æger loquatur abſurda, moxque relabatur in ſomnum, illud coma dicitur ſomnolentum: vigil nuncupatur, ſi vigiliæ (dictu mirabile) ſomno ſe comites præbeant: ſomnus externus adeſt, torquent intus vigiliæ: clauduntur oculi: feriantur ſenſuum organa: irrequietus tamen animus ſuas turbidè functiones exercet; ſomniando delirat æger: apertis ſubinde faucibus clamitat; jactat aliquandò membra; compellatus ſomnum facilè excutit, ineptas reddit voces. Nullus ſoporoſus

* Auctore M. Claudio-Carolo DE JEAN, 1735.

affectus suum tam meretur nomen, quàm lethargus. Omnia ferè huc usque enarrata symptomata in lethargo simul coëunt: illius tamen essentiam constituit obliviosus sopor; postulat aliquid lethargicus, oblatum arripit, dum manu tenet propositi obliviscitur, nescit quid cum re petitâ sibi velit, somno interea corripitur. Catalepsis denique prædictos jam affectus symptomatum prodigio longè antecellit: sensus cum motu simul evanuit: riget membrorum compages; immobiles hiant oculi; versum in statuam hominem crederes; remanet, quâ correptus fuit, positurâ: impulsum tamen spectrum illud movetur; rursus, quam per motum adeptus est, figuram retinet. Jam tales morbos vis aggredi, non ante viceris, quam quæsieris causam, inventamque eradicaveris.

I I.

OMNIUM functionum integritatem ponit sanitas; morbus vel unius, vel plurium læsionem: functio tandiù viget, quandiù sua organa libero volvuntur motu; si mora injicitur, læditur. Quæris morbi causam? illius detegendæ viam aperit præmissa notio. Esto: affectu soporoso laboret æger: quænam offeratur morbi species, non est difficile quidem intellectu: diversa sedula symptomata enucleavimus: ast nunc indaganda causa: statim est in promptu, quænam desideretur functio: sensus motusque periere: culpanda igitur sensus motusque organa. Spirituum animalium intercipitur secretio. Secretionis vitium secretoriorum canalium *obstructionem* arguit. Morbum igitur parit infarctus cerebri. Proximam nunc tenes causam: remota non nunquam vel in primas usque regiones rejicienda. Omnes omninò secretiones in ventriculi ditionem rediguntur. Non ritè peraguntur, quin viscus illud idoneam fingat mittatque materiem. Ubi suum opus segniter exequitur, chylus malè tritus spissiorem suppeditat sanguinem: exurgunt indè liquores paternâ labe infecti. In sua quique incernicula ægrè protruduntur; permeare nequeunt; deficit secretio. Illud damni eò magis impendet cerebro, quò cerebrum magis *obstructioni* patet. Iter metire secernendæ illic materiei, mille gyris extenditur; calcandam lustra viam, quàm angusta! excurrendos scrutare canaliculos, nullam ferè deprehendes elasticitatem. Affectuum soporosorum causa non est semper tam altè repetenda: neque sic existimandum ventriculum in culpâ semper esse. Quæcumque tandem sanguineum laticem inspissare valent, soporosis affectibus producendis sunt obnoxia: circuitûs retardatio, excretorum profusio, virium jactura, elasticitatis imminutio, glandularum infarctus. Denique plethora prædicti morbi est causa non infrequens. Plethorâ sicut & cachexiâ non existit hostis secretionum infensior. Suâ hæc crassitudine, illa mole easdem inferunt calamitates: hæc vasculorum oscula suarum partium diametro occludit, illa vasis majori distensione: fibrarum tonum hæc pondere, illâ redundatione opprimit. Permagnum utrinque cerebro malum.

I I I.

INTELLECTIS morbi causis, indicationes ultrò sese offerunt. Si plethora procreaverit foverit-ve morbum, nihil venæ-sectioni præmittendum. Magnum subitò emolumentum dabit. Redundantior sanguinis moles suos intra tubulos ægrè volvebatur; indocilis quati, serpebat lentè. Multo suarum partium agmine oscula perreptans, crassior existebat; sæpe sibi-ipsi præpediebat viam, vimque solidorum obruebat. Quàm celebratâ venæ sectione meliorem subitò statum corpus plethoricum induet! Imminutâ jam liquidorum copiâ, solida vim pristinam exerunt. Tenuius sanguinis filum cedendo sensim teritur, nullam sui partem vasis salientis ictibus subripit, tubulatam leviter calcat viam, oscula facilè permeat, si quis, modò levior, reperiatur obex, cedere nescium. Non una secatur vena. Suus est honos cuique venæ sectioni. Delectus non hercle floccifaciendus. Quantùm licet, tentanda revulsio · hoc nomine in soporosis affectibus palmam sibi saphenæ sectio vindicat. Et si necessaria, sæpe tamen non solvit infarctus cerebri. Liquidorum in cerebro circuitus eò restauratur difficilius, quò facilius sistitur: vix reviviscet unquam sibi permissus visceris

illius elater : vi ſuſcitandus eſt. Illud remedii quantò magis adhibendum , ſi ſit infarctus cerebri liquidorum craſſitudini tribuendus ! tenacem iſtam materiem abſque moclichorum præſidio in motum agi nequicquam ſperes. Non aliis tandem veſtigiis inſiſtendum , ſi ſoporoſus affectus à primi regionibus ortum repetat. Succutiendus eſt ventriculus. È validâ ventriculi ſuccuſſione duo exurgunt ſimul maximi quidem momenti commoda. Stagnantium ſuccorum colluvies foras amandabitur. Integrior exinde chylus miſcebitur ſanguineo latici. Quin & fibra ventriculi , onere veluti depoſito , liberâ gaudebit oſcillatione ; ingeſtam acrius tractabit materiem, perfectè comminuet. Morbi ſic radix eruitur. Quæris quî tot repleri queant indicationes ? omnes uno repleas Emetico.

I V.

QUIDQUID in ventriculo deliteſcit , vomitoriorum ope citiùs excutitur. Ventriculi inteſtinorumque glandulas purgant ab humorum ſtagnantium ſaburrâ , everruntque ſordes , quas alia nunquam purgantia exturbaſſent. Dum ſic emunguntur ventriculi ductûſque inteſtinalis glandulæ , minorem offerant neceſſe eſt reſiſtentiam appellentibus e ſanguine laticibus ; copioſiùs proinde excernuntur : excretio eò copioſior evadit , quòd majorem fluiditatis gradum ſuccis conciliavere , tum omnium muſculorum violenta intervomendum contractio , tum actio ipſa particularum Emetici , quæ ſanguini aſſociatæ , tumultus ibi concitant. Inde patet vomitu quantùm imminuatur liquidorum moles : porrò vaſis tum ſanguineis , tum lymphaticis multo minus dilatatis , eâdem proportione remitti debent tenſio compreſſioque cerebri , quæ quidem oriuntur à tumefactis vaſis illius ſubſtantiam perreptantibus. Fatendum tamen , Emetica nonnunquam ſoporoſis affectibus citiùs opitulari, quam ut proſper illorum exitus unam hanc agnoſcat cauſam : imò ſæpè levatur æger abſque ullâ prorſus evacuatione : hoc in caſu ſanatio diverſæ profectò cauſæ tribuenda. Hæc nobis hypotheſis (ab illâ voce Phyſica non abhorret) optimè nodum videtur ſolvere. Lex eadem motuum ſympathicorum , quæ ventriculum, diaphragma muſculoſque abdominales earumdem impreſſionum conſortes facit , ambas & menynges eâdem forſan aſtringit conſortione. His ſemel poſitis, nihil eſt quòd oblatam quæras jam effectus cauſam. Contracto Emetici morſu ventriculo , contrahentur & ipſæ menynges : contractæ cerebrum arctiùs complectentur ; ceſpitantem in arteriis in venis tum ſanguineis , tum lymphaticis ſanguinem exprimcnt ; liquorum accelerabunt motum , circuitum facient expeditiorem , ſicque citiſſimè hujuſce viſceris functiones inſtaurabunt. Hæc minus fortè arridet hypotheſis ; quippe quæ ficto tantùm videatur extructa fundamento : Cave credas : anatome ſimul & exemplis nititur : nullum aliud viſcus tantâ,quantâ ventriculus,nervorum luxuriatur ſuppellectile : maximus inde caput inter & ventriculum conſenſus eſſloreſcit : ſi ventriculi commotio , hemicraniam , vertiginem, Epilepſiam ſæpe ſæpius procreat , viciſſim ictus capitis, hemicrania , vertigo , ventriculum ſæpè commovent. Allatæ hypotheſi ſuffragantur exempla. Cerebrum purgat nonnunquam ſternutatio. Illud (nemo nòn fatetur) oritur ex eo , quod contractio membranæ pituitariæ , unde ſternutatio , menyngum contractionem procreet. Cur Apoplectici ſuos tam efficaciter recuperant ſenſus , ubi corporis habitus in aliquâ parte gravi impreſſione afficitur ? eamdem ſcilicet ob cauſam ; hac arte menyngum elater intenditur ; unde liberius circuit , exprimiturque impactus cerebro ſanguis. Quidni vis Emetici eoſdem pariet effectus ? Novus inde redit eidem hypotheſi auctoritatis gradus : illam ſi reſpueris , difficilè quidem attinges cauſam , cur in hydrocephalo tam proſperè ſuccedant Emetica. Quid aliud , quæſo , niſi auctus menyngum elater ſtagnantem in cerebri ventriculis lympham exprimet ? Menynges auctâ contractione cerebrum validiùs conſtringant : in promptu eſt effectus : congeſtus liquor in oppoſitam impinget molem , vincetque tandem, ſi modò vinci queat. Probabitur magis ſimplex ille *Mechaniſmus* , ſi attendas eodem temporis puncto tonum augeri in membranâ glandulæ pituitariæ , ubi reperitur obex.

Difficilius explicatu nec eſt, quî *Amauroſim* incipientem ſanent Emetica: quî ſopitum paralyticorum partium ſenſum ſuſcitent; præmiſſis abſque nullo ferè levamine venæ ſectionibus. Nihil verò ſimilius excogitari poteſt, quàm expreſſio lymphæ nervorum originem comprimentis, illorumve textum reſolventis; toticem Menyngum contractionis argumenta! nullus tandem oritur è congeſtâ in cerebro lymphâ morbus, in quo non juvent Emetica: exprimendi igitur cerebri vi polleant neceſſum eſt.

V.

AST inquies: nihil veſtris principiis tam adverſatur, quàm veſtra ipſa concluſio: affectus ſoporoſos cerebri infarctui tribuitis: hunc contenditis ſolvendum eſſe: quodnam porrò huic ſolutioni proponitis inſtrumentum? Emeticum. Egregia verò infarctus ſolvendi methodus! novam videlicet intrudendo materiem. Ignem nimirum oleo extinguitis! vos neſcire vomitu verſus caput vi protrudi ſanguinem! adeo ne rudes legum animalis œconomiæ! ſi fugit anatome, ſaltem oculis utimini. Cernitis quantùm hic æger inter vomendum toto rubeſcat ore! magno utique metu nos jam percuſſos autumas. Habemus ovantem quod te reprimat. Ipſiſſimis jocis novo nos adornas telo. Præfari non omiſimus, affectus ſoporoſos ſeu plethora producat, ſeu tantùm concomitetur, mittendum ſanguinem: palàm hìc adjicimus iterandam tandiù venæ ſectionem quandiù eadem ſtat indicatio. Jam verò celebratâ ritè venæ ſectione, menyngum contractione probatâ, probato iſtius contractionis effectu, aliquid infarctui ſolvendo accommodatius, amabò, excogites eo ipſo; quo nos inſequeris. Quis obex, niſi immotâ radice adhæreat, membranarum contractioni ſanguiniſque ſimul appulſui reſiſtat? collimant eodem ambæ illæ potentiæ Times immeritò, ne intra caput vomitu appellens ſanguis novam præbeat infarctui materiam: illius impetus frangi facilè non poteſt: primò vi multâ adigitur; deinde ejuſdem motus plurimùm juvantur menyngum elaterio. Nondum fortè perſuaſum tibi eſt noſtræ aſſentiendum concluſioni. Non es qui incertum pro certo teneas. Suis tandem ratiunculis tuam nunquam ludet Theoria credulitatem. Procul hinc umbra litigii. Tuum igitur nomen inter Empyricos (eos videlicet qui uni credebant experientiæ) profitere: at enim conclamat experientia.

Ergò affectibus ſoporoſis Emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta BAIGNERES.

M. Joannes-Carolus DE BROTONNE.

M. Ludovicus-Alexander GERVAISE.

M. Joannes-Matthæus DE FRASNE.

M. Joannes-Jacobus DE LA PORTE.

M. Ambroſius HOSTY.

M. Joannes-Baptiſta JUMELIN.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Joannes MAC-MAHON, *antiquus Exercituúm Regis & Noſocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.*

Proponebat Pariſiis AUGUSTINUS THOURET, Lexovienſis, Doctor Medicus Cadomenſis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1776, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.